

prononciamus. Sicut per multorum fide dignorum constat asserciones, heretice pravitatis attramento se et alios coinquinavit, homicidio etiam et incestu et aliis criminibus se polluit⁸, de quibus tanto magis condolemus, quanto spiritualius eius salutem sitire debemus. Et quanto dampna morum a dampnis temporalium magis distant, cum hec extra nos sint, illa vero in nobis⁹, tanto amarius et profundius se nobis inferunt. 25

Talia autem clausis oculis ulterius^d pertransire non possumus. Ut igitur iudicium nostrum de vultu Dei prodeat et oculi eius videant equitatem¹⁰, in nomine Domini cum apostolo omnem inobedienciam^e ulcisci parati – licet absentes corpore, spiritu tamen presentes – sentenciam^f perpetue dampnationis in ipsum promulgamus et sine spe restitutionis auctoritate universalis ecclesie eum deicimus, nichilominus in irritum revocantes, quecumque^g post interdictum et excommunicationem ordine iudiciario auctoritate apostolica promulgatum de rebus ecclesie alienare presumpsit¹¹. 30

Est itaque inutili arbore^h iam excisa vobis attentius providendum, ut ad plantationem nove fertilem procedatis et in talem personam vota vestra concurrant, per quam iactura preteriti temporis et incommodumⁱ auferatur et futuri comparetur^j utilitas¹². 35

3 = IX

König I(ohann) von England widerspricht der von Papst I(nnocenz) ausgesprochenen Absetzungssentenz unter Berufung auf Schriftzitate

d) uterius Hs. e) inobedienciam Hs. f) santanciam Hs. g) queconque Hs. h) *Rasur nach arbore.* i) inconmodum Hs. j) *Korrigiert aus comparatur.*

sed etiam in celis se ligari posse et solvi? *Variation von D. 96 c. 9 (ed. FRIEDBERG, Sp. 340).*

8) *Decr. II 14, 8 (ed. HOLTZMANN, S. 191, 12f.).*

9) *C. 6 q. 1 c. 11 (ed. FRIEDBERG, Sp. 556f.):* Multum vero distant dampna morum a dampnis rerum temporalium, cum ista extra nos sint, illa vero in nobis.

10) *Ps. 16, 2 (iuxta LXX):* de vultu tuo iudicium meum prodeat oculi tui videant aequitates.

11) *Decr. II 14, 8 (ed. HOLTZMANN, S. 194, 99–106):* [...] in nomine Domini omnem cum apostolo inobedientiam ulcisci parati, licet absentes corpore, presentes tamen spiritu iuxta verbum eiusdem apostoli tulimus sententiam perpetue depositionis in ipsum et eum tam a pontificali quam ab omni officio sacerdotali privantes sine spe restitutionis aliqua duximus condemnandum ea nichilominus in irritum revocantes, quecumque post inhibitionem apostolice sedis seu factam suspensionem aut excommunicationem de rebus ecclesie alienare presumpsit.

12) *Decr. II 14, 8 (ed. HOLTZMANN, S. 194, 106–109).*